

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

1737/13
16
20

MV MIA

QVAM

PRÆSIDE

D. IOANNE HENRICO SCHVLZE

MEDICINÆ ELOQVENTIÆ ANTIQVITATVM ET

PHILOSOPHIÆ PROFESSORE PVBLICO

ORDINARIO

ACADEMIÆ CÆSARÆ NATVRÆ CVRIOSORVM ET

REGIÆ SOCIETATIS SCIENTIARVM BERO-

LINENSIS SODALE

PRO GRADV DOCTORIS

RITE CONSEQVENDO

A. d. XI. Octobr. Anni MDCC XXXVII.

PVBLICE DEFENDET

GEORG. BERNH. HENDEWERCK

STOLPA POMERANVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,

Typis IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

MVM



1717

1717



*VIRO SVMME REVERENDO AMPLISSIMO
ET DOCTISSIMO*

DOMINO

TIMOTH. CHRISTIANO
STVBENRAVCH

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO PO-
RVSSORVM REGI A SACRIS IN AVLA
CONCIONIBVS

PATRONO SVO OMNI PIETATE ET
OBSEQVIO AETERNVM VENERANDO

DISPVATIONEM HANC INAVGVRALEM

IN

GRATISSIMI TOTQVE BENEFICIORVM
MEMORIS ANIMI

TESSERAM

D. D. D.

RESPONDENS ET AVCTOR

GEORG. BERNHARDVS HENDEWERCK.

IN OMNIBUS REBUS
SACRIS

DOMINO

TIMOTHEO CHRISTIANO

ET BERNHARDUS

SENISSIMO AC NOTISSIMO TO

DOCTORI

CONJUGI

PATRONO SVO OMNI PIETATE ET

GRAVITATE

REVERENTIA

IN

GRATIA TOTIUS REVERENTIA

REVERENTIA

REVERENTIA

D. D. D.

REVERENTIA

GEORG BERNHARDUS HERSCHBERG



*VIR SUMME REVERENDE AMPLISSIME
ET DOCTISSIME
DOMINE ET PATRONE OMNI OBSEQVIO
COLENDE,*

REcolenti mihi memoriam il-
lius temporis, ex quo litte-
rarum studiis dedicatus vi-
xi, earumque prima funda-
menta in celeberrima & re-
gia vrbe Berolinensi ieci, tantumque profeci
vt ad academiaram lucem dimitti amandari-
que possem: nemo mihi inter omnes, qui
me salutaribus monitis & consiliis rexerunt,
ipsaque re adiuuerunt, præter TE, vir summe
reuerende, succurrit, cui me plus debere a-
gno-

gnoscam. Neque TE absentem ex animo dimis-
sisse tuo, sed eadem me beneuolentia, qua
pridem, complecti, ex multis & plane illustri-
bus testimoniis cognoui. Prorsus igitur an-
gor animo atque æstuo, vt tanto patrono vel
aliqua ratione declarare possim, quanta pie-
tate colam eius in me singularia merita & be-
neficia, quæ a parente ipso vix maiora in me
proficisci poterant. Accipe igitur, quas TIBI,
vir summe reuerende, patrone optime, con-
secrandas putauit primitias ingenii mei: non
quod pagellæ hæc conspectu TVO dignum a-
liquid contineant, aut sacris tuis studiis con-
gruum: sed quod non amplius differendam
grati TIBIQUE deditissimi animi declaratio-
nem existimaui. DEVM rogo, vt TE eccle-
siæ plurimo fructui, TVORVM solatio, clien-
tum, atque inter hos meo, præsidio diutissi-
me saluum, sospitem incolumemque con-
feruet. Scripsi Halæ Magdeburgicæ a. d.
xii. Octobris M DCCXXXVII.

L. B. F. L. V.
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
MVMIA.

PROOEMIUM.



Oto corpore perhorrescimus, animoque commouemur, quoties in historiis legimus exempla singularis ac nefariae crudelitatis illius, qua homines, maleuada fame compulsi, in cognatorum & citium suorum corpora saeuierunt, vitaeque suae sustentandae ac tolerandae causa in cibum carnes eorum apparauerunt. Quis non cum summa abominatione simul ac commiseratione legit matrem in Hierosolymae obsidione diutius protracta, omniumque rerum inopia pressam ex senatae prolis corpore suum aliquamdiu sustentasse? Quis non sacrum & capitalem dicit Critognatum, summo in Aruernis natum loco & magnae auctoritatis virum, qui in concilio eorum, qui Alesiae a Romanis obsidebantur, consumptoque

omni frumento de exitu fortunarum suarum consultabant, hæc verba protulit: *Quid ergo mei consilii est? Facere quod nostri maiores, nequaquam pari bello Cimbrorum Teutonumque fecerunt; qui in oppida compulsi, ac simili inopia subacti, eorum corporibus, qui etate inutiles ad bellum videbantur, vitam tolerauerunt, neque se hostibus transdiderunt: cuius rei exemplum si non haberemus, tamen libertatis causa institui & posteris prodi pulcherrimum iudicarem.* Non dicam de integris nationibus anthropophagis, quas antiqui historici & geographi huius criminis macula infamauerunt, vel quas recentiorum scriptorum, qui de itineribus suis in remotissimas terras retulerunt, accusatio terribiles nobis facit: neque quæram quam vera sint, quæ contra eos proferunt, quos non sperant facile litteras arrepturos, ut crimina sibi impacta refutent. Illud puto omnibus consentientibus me posse dicere, excusatione aliqua dignos esse, quos miseranda calamitas ad miserabile auxilium compulit: ceteros, qui consuetudine & patrio more id faciunt in hostes & deuictos, odio humani generis esse dignos. Quamquam ego, si carere omni vitio debet, qui in alterum paratus est dicere, fateri cogor me nescire quomodo cultiores Euro-

Europæ gentes se omnino liberare ab anthropo-
phagias accusatione possint, quamdiu mercato-
res ipsorum latrocinium peregre peragunt in diu
iam defunctorum hominum corpora, quæ se-
pulturis suis, quibus religiose quondam iusteque
reconditi sunt, eximunt, exenta ad mercatus fo-
raque deferunt, mutilant & in frustra maiora mi-
noraue diffringunt aut dissecant, vt cuius sepla-
sario portionem, quantam argento suo permu-
tare cupit, tradere possint: aut quamdiu libri in-
ter nos prodeunt, quibus docetur, quo pacto
furis suspensi corpus condiendum & exsiccan-
dum sit, vt nimis magno pretio comparandis
mumiis Aegyptiorum carere possimus. Sed
hanc quæstionem permittam morum magistris
& iustitiæ doctoribus. Mihi illud datum existi-
mo, vt quid artis salutaris magistri a longo sæ-
culorum decursu de mumiis docuerint, in medi-
um proferam: quibus lectis credo fore vt pleri-
que in meam sententiam eant, omninoque nos
carere illis cadaueribus olim conditis, quæ hodie
mumiarum nomine veniunt, & posse & debere
existiment.

§. I.

SI in aliis commentationibus sæpe magis consuetudinis legi obtemperaturi, quam quod ita necessarium videatur, ab explicatione nominum initium facimus: in hac certe & necessitas & magna, quæ hinc expectanda erit, utilitas suadent, aut potius imperant, ut de mumiarum nomine haud perfunctorie dicamus. Est enim illud HIPPOCRATI, GALENO, DIOSCORIDI, ceterisque Græcis non magis incognitum, quam CELSO, PLINIO aliisque Romanis scriptoribus, ipsoque sono tam peregrinitatem quam nouitatem suam declarat: quamquam nouitatem tantum intelligo nominis in schola medica Europæorum: quum quædam ab orientalibus sub hoc nomine celebrata sub aliis iam satis diu nobis nota fuerint.

§. II.

Si itaque quærimus quid sit mumia? respondet MATTHÆVS SYLVATICVS, qui materiae medicæ lexicon primus condidit, *mumia est illud, quod inuenitur in sepulcris balsamatorum, in quibus humor mortui cum aloë & myrrha resoluitur, & simulatur pici marine, solebant antiquitus corpora balsamo, myrrha & aloë condiri, & adhuc fit apud paganos & Sarracenos circa Babiloniam, ubi est copia balsami.* Citat deinde SERAPIONEM, qui fere eadem dicit & DIOSCORIDEM *lib. I. cap. 100.* quod de pissasphalto in Græco pariter ac Latino inscribitur: quem locum deinceps commodius adducemus. Adeoque iam intelligimus nomen *mumie* duobus esse datum isto tem-

tempore, scilicet pissasphalto veterum, & *mumie*, vt Serapion vocat, *sepultorum*. Si IOAN. SCHROEDERVM consulimus, is *pharmacopoea med. chym. lib. V.* docet cadauer hominis integrum, carnemue eius, mumie titulo venire. Notat autem, id nomen quinque differentias sub se complecti I. *mumiam Arabum*, seu liquamen exsudans in sepulcro, e cadaueribus aloe, myrrha, balsamoque conditis. II. *mumiam Aegyptiorum*, seu liquamen ex cadaueribus vilioris hominum fortis, quæ tantum pissasphalto condita fuerunt. III. *pissasphaltum factitium*, i. e. mixtum pici bitumen. IV. *cadauer sub arena solis aestu torrefactum*, qualia ex Libyæ desertis afferantur. V. *mumiam recentiorum* ex CROLLII consilio parandam.

§. III.

Possumus his enarratis adicere, tamquam nouam differentiam, *mumiam Persicam*, de qua BARTHOL. HERBELOTVS in *bibliotheca orientali* titulo *Moumies* sic scribit: *la plus grande partie des Moumies de l'Orient se tirent d'une Caverne, qui est assez proche de la Bourgade, nommée Abin, située dans la province de Ears, qui est la Perse proprement dite.* Vellem vtique doctissimum virum nos paulo amplius edocuisse de sua hac mumia Persica, & auctores simul suæ sententiæ indicasset. Dixerat antea cadauera humana condita ex sepulchris in Aegypto erui. Iam quando dicit plurimas mumias, quæ ex oriente aduchuntur, apud Persas ex cauerna quadam erui: vix licet mumiam Persicam aliam, quam cadauer etiam conditum, intelligere. Mirum autem merito videri debet, qui fiat vt tot itinerum scriptores nihil huiusmodi memorauerint, si tanta copia ibi eruuntur & per orientem.

tem distribuuntur. Forte deceptus fuit æquiuocatio-
ne vocabuli, & ea, quæ de *Mumia Persica* ante non adeo
multos annos nos docuit appendix *Volum. 1. Act. physico-
med. Acad. N. C. pag. 150.* veriora habenda sunt. Scribit
autem ibi excell. D. D. & archiater Russicus GOTTLOB
SCHOBERVS, binis in Persia locis, circa vrbes Laer
& Lorestan ex terra scaturire, & ad aerem, in speciem
ambræ nigræ, condensari illud, quod mumia nomine
apud Persas venit, tantoque pretio habetur, vt vix Tur-
cæ maius statuere possint suo balsamo de Mecca, qui
olim incredibili pretio redimendus erat, & dignus ha-
bebatur, qui regibus pro donario magnifico mittere-
tur. Quicquid sit demum de mumia Persica Herbelo-
ti, illa certe Schoberi nihil cum cadauerum contagio
commune habet, & est genus bituminis fragrans, quod
fluidum ex terra scaturit, calore autem solis in duriti-
em cogitur. *)

§. IV.

*) Speravi me certiora accepturum a celeberrimo Equite
CHARDINO, qui in *descriptione sui itineris Persici tom. IV. pag.
38.* mumiam etiam attingit. Sed fere æque me dubium
dimisit. Scribit autem in hunc modum: *il y en a de deux
sortes en Perse. L' une est la Mumie communement dite, qui
vient des corps embaumez & enterrez dans le sable aride & ar-
dent, ou dans la suite des siecles ils se petrifient, comme cela est
connu de tous les curieux. Cette Mumie, qui n' est proprement
que la petrification des corps embaumez depuis quelque deux mil-
le ans, à ce qu' on assure en Perse, se trouue en Corasson, qui est
l' ancienne Bactrienne. Hæc se ex auditu tantum habere
sequentia docent, quibus recenset, quod canales & aqua-
ductus*

§. IV.

In tanta copia æquiuocorum, eadem appellatione gaudentium, difficile videtur definitionem dare, quæ congruat singulis. Describamus igitur oportet, & determinemus singulas species, ne confusio oriatur. Eo autem res redit, *mumiam puram* esse aliquod concretum bituminosum, quod sub liquida consistentia ex terra scaturit, deinde in superficie aquarum ad liberum aerem, adiuuante solis calore, condensatur: *mumiam cadauerum* esse miscelam quandam ex eiusmodi bituminoso succo nondum indurato, pollinecturæ olim adhibitæ, variis aliis adiectis contemperatam, deinde vero tabo & ichore cadauerum permixtam & abominabilem redditam: *mumiam vero antropophagorum* esse ipsas carnes & ossa hominum mortuorum, siue Aegypto adue-

B

ctorum,

ductus effodientibus talia se obtulerint cadauera. Quod aromata, vel alia conditura accesserit, non dicit, sed territorii naturæ effectum conseruationis tribuit: *le terroir de la Bactriane est un sable chaud & aride, fort propre à conseruer & à petrifier ainsi les corps.* De alterius mumiæ patria hæc habet: *Il y en a deux mines, ou deux sources, en Perse. L'une dans la Carmanie deserte, au pais de Sar, & c' est la meilleure. L'autre mine est au pais de Corasson. Les Roches, dont la vraye Mounie distillent, appartient au Roi, & tout ce qui en distille est pour lui. Elles sont fermées de cinq seaux des principaux officiers de la Province. On n' ouvre la mine qu' une fois l' an, en presence de ces officiers, & de plusieurs autres encore, & tout ce, qui se trouue de ce précieux mastic, ou la plus grande partie, s' enuoye au tresor du Roi, & ou, avec un peu de credit, on en tire dans le besoin.*

etorum, siue ex Libya, siue in laboratorio exsiccatorum
& ad imaginarios vltus præparatorum.

§. V.

Progredimur nunc ad etymologiam, seu nominis
originem inuestigandam. Qui linguarum orientis pe-
riti sunt, quos inter nemo dubitauerit iam laudatum
HERBELOTVM, vtpote Regis Christianissimi in his
litteris secretarium & interpretem, atque CL. SALMA-
SIVM referre, vno ore confirmant etymon, quod cer-
te non contemnendus, quin recentioribus nonnullis,
qui nasum rhinocerotis habent, sepe saniora docens
MATTHAEVS SYLVATICVS pridem dedit. Ita
autem hic lingua sua sæculi morem sequuta: MVM est
cera secundum Auicennam: *È mum, vt apparet per Serapio-
nem, est sordities quedam domorum apum, quam Auicenna
vocat mum nigrum, & Grace vocatur propolis.* HERBELO-
TVS testatur, quod Persarum & Turcorum idiomate
mum proprie ceram, deinde etiam seuum denotet. Su-
pra laudatus CHARDINVS lib. IV. pag. 40. sic scribit:
*Le mot de mumie est Persan; venant de moum, qui signifie Cire,
gomme, Onguent. Addit: les Hebreux & les Arabes se ser-
uent de ce nom dans la meme signification.* Sed de hoc vl-
timo quidem dubito. Certe de Ebraeis mihi nihil con-
stat, ex biblici idiomatis memoria, quod huc faciat:
Arabas, qui non sint medici, hoc vocabulo vsos esse
pro cera denotanda vix credo: de medicis concedo.
Nam medicinam Arabes acceperunt per Syros ac Per-
sas a Græcis, adeoque factum est vt multi artis termini
originem peregrinam referant: perinde vt apud nos
vocabula Græca technicorum in lingua medica vo-
cabu-

cabulorum maximam partem constituunt. Quumque Ebraei, qui medio ævo multi & clarissimi medicinam colebant, ex Arabum scriptis sua acceperint; credo illos etiam vocem *mum* accepisse & suis libris inseruisse.

§. VI.

Quæ hactenus dicta sunt, fere confirmantur a CLAVD. SALMASIO *de synonymis hyl. iatric. cap. 101.* qui adhaerendum putat notioni ceræ, vt a *mum* ita dicatur *mumia*, quemadmodum a *cera* est *ceratum*. Solitos autem fuisse veteres corpora, quæ a putredine conseruare cupiebant, cera obducere, notum est ex CORN. NEPOTE, qui in *Agesilao cap. 8.* scribit: *ibi cum amici, quo Spartam facilius perferre possent, cera circumfuderunt, atque ita domum retulerunt.* Adicit ibi, hoc eos fecisse, quod mel non habebant. Nam id Lacedæmonii placuisse in corporibus mortuorum tamdiu seruandis, dum ii, qui peregre decesserant, domum perferri & sepulturæ mandari possent, docet XENOPHON *rer. Grecar. V. p. m. 384.* exemplo Agesipolidis, qui ἐν μέλιτι τεθείς, καὶ κομιθεῖς οἰκάδε, ἐτροχῆ τῆς βασιλικῆς ταφῆς, melli impositus, domumque relatus, regiam sepulturam consequutus est. De Persis, quod cera in condiendis corporibus vsi sint, luculentum testimonium præbet HERODOTVS *libr. 1. cap. 140.* κατακηρώσαντες τὸν νέκυν Πέρσαι, γῆ κρύπτουσι, cera obducentes funus, terræ deinde mandant. Vtrumque, tam mel, quam ceram, adhibebant Babylonii, teste STRABONE *libr. XVI. pag. 746.* θάπτουσι ἐν μέλιτι, καὶ πῆξι περιπέσαντες, funus cera obductum melle circumfundunt, sicque demum sepeliunt.

§. VII.

Docent hæc, ni fallor, non male inhæreri vtique

significatui isti, quo *mum* ceram designat: & quia Persis antiquissimis hanc in usu fuisse cognoscimus, facile in hac notione acquiescimus. Enimvero, ut fieri inter homines solet, luxus nullis limitibus circumscriptus videtur diuitibus suasisse, ut simplicem morem desererent, magisque pretiosa & rara circumspicerent inque vltum aduocarent. Quare videntur, ubi primum inter ipsos inuentum fuit nobile illud bituminis genus, (quod teste CHARDINO ad prophetam Daniele referunt,) illud destinasse regum & magnatum corporibus condendis pro simplici cera adhibere: manente quidem nomine eodem ab antiquis recepto, ut cera conditum scilicet dicerent, quod tamen ceræ aliquo succedaneo curatum fuerat. Solida & vera est in hanc rem observatio doctissimi SALMASII, solere orientales populos rerum omnium nomina, que eundem usum præstant, indifferenter usurpare, & aliud pro alio ponere. Sic Kitran, quod proprie picem cedri designat, pro bitumine quidam interpretantur: sic fucum marinum, vermiculum cocci & rubiam indiscreta notione sumserunt. Ita ergo & bitumen, quia conditura cadaverum utramque seruebat, apud diversos populos *mumie* appellatione donarunt, quod a *mum*, id est cera, derivatum est.

§. VIII.

Cœpit itaque per omnem orientem illud, quo corpora antiquitus condiri solebant, *mum* siue *mum* appellari, & non vnam rem determinatam, sed variam eidem fini & effectui idoneam materiam designare. Atque hæc res etiam ad occidentales gentes emanavit, hincque factum est ut Latini *animum* nobis canant, quan-

quando de funere medicato sermonem instituunt. Est hoc ipsissimum vocabulum orientis *mom*, quod ex ore Arabis cum articulo, aut Iudæi, cum suo *He* demonstratio prolatum audientes, & terminatione Latina donantes, in amomum flexerunt. Si quis loca poetarum desiderat, inueniet in FABRI *lexico*, atque illis exemplis hæc discet, quod & pretiosum aliquod vnguenti genus fuerit, quo viui etiam delectabantur, & ad polliniscuram seorsim expetitur adhibitumque fuerit. Sed nimis abduceremur a scopo, si hæc pluribus hic edisserere vellemus.

§. IX.

Progredimur itaque ad corporum condituram, quæ Ægyptiis in usu fuit, ut videamus qua ipsi materia pro mumiis, id est conseruatorio, integritatis ipsorum & incorruptibilitatis paratio, vti fuerint, cuius deinde cupiditas homines impulit ut ex sepulchris ipsorum repetendam mumiis primo censuerint, deinde ad ipsa corpora absumenda progressi fuerint. Nam quum mumiæ, quæ ad nos adferuntur, inque officina præstant, ex Ægypto venire credantur, omnisque spes boni & operæ pretium facturi effectus fundetur in præstantia rerum ad condituram adhibitarum: non poterimus rite diiudicare quæstionem inferius agitandam, nisi hanc inquisitionem præmiserimus. Qui vero præstantiam huius pretiosæ mercis ex hoc fundamento diiudicant & æstimant, nolint legere quæ NIC. LEMERY in *diction. mater. medic.* scribit: *Nemo autem sibi persuadeat eam, que ad nos adfertur, mumiis, veram & genuinam Ægyptiacam esse, ex monumentis sepulchralibus huius regionis de-*

sumtam. Nimis illa condita corpora rara sunt, quam ut promiscue prosint: Et si utique ad nos aliqua pervenit, collectionibus rariorum rerum, pro eximio curiosorum spectaculo, inseruntur. Quæ autem apud sepulchros prosint, sunt cadauera, a Iudeis, vel Christianis etiam præparata, qui viscera & cerebrum eximunt, deinde myrrha, aloë, asphaltis aliisque huiusmodi rebus balsamicis, ea replent & imbuunt. Sic præparata furno commodo indunt, ut & omnis humiditas exsiccentur, & mixta illa adpersaque aromata profundius penetrent.

§. X.

Sed esto, supponamus tantisper, omnes, quæ proficiunt in officinis, mumias, aut earum partes, ex Ægyptiis esse: adeoque relegamus, quæ ad memoriam posteritatis de illis propagata sunt. Sine dubio antiquissimus de his rebus auctor est HERODOTVS, qui *libr. II. cap. 85-88.* tradit triplicem apud eos fuisse condiendi modum, pro facultatum, quas quisque possit aut vellet impendere, modo. Sumtuosissima hæc erat, ut postquam cerebrum per nares adunco fero exentum esset, locum eius medicamentis implerent: deinde ventrem circa ilia inciderent, exentisque intestinis vino palmeo probe eluerent, deinde contusa myrrha pura, & casia & aliis, excepto thure, odoribus implerent, iterumque confuerent. Vbi hæc fecerunt, saliant nitro abditum LXX. diebus; quibus exactis cadauer ablutum fasciis ex syndone byssina apte conscissa totum inuoluunt, gummi interlinentes, quo Ægyptii loco glutinis plerumque utuntur: atque sic curatum propinquis recondendum tradunt.

§. XI.

§. XI.

Subiungamus his statim quæ antiquus etiam auctor DIODOR. SICVLVS *lib. 1. pag. 82.* ad supplendam HERODOTI relationem suppeditat. Refert in primam seu pretiosissimam hanc condituram argenti talentum impendi, quæ summa ad bis mille florenos Rhenanos argenteos ascendit. Per hiatum incisione factum omnia, præter cor & renes, extrahi; ad eluendum adhiberi vinum palmeum & odorata, *ῥομιάματα*. Lotum deinde cadaver per plures, quam XXX. dies vnguento primum cedrino aliisque delibutum reddi: myrrha deinde ac cinnamomo, aliisque non longiori tantum conseruationi, sed etiam fragrantiae aptis condiri, conditum propinquis reddi: vbi singula corporis membra tantam habeant integritatem, vt etiam palpebrarum & superciliorum pili, adeoque tota corporis species inuariata persistat, & formæ pristinae effigies agnoscatur. Hæc sunt, quæ duo fide digni historici, qui ambo in Ægypto fuerunt illo tempore, quo conditura in vsu erat, de pretiosissimo condituræ modo tradiderunt. Nunc videbimus quid de media & vilissima condiendi ratione suggerant.

§. XII.

De media igitur HERODOTVS isthæc *c. 1.* eis, qui mediocria volunt, nimium fugientes sumtum, non inciditur aluus, sed vnguento cedrino (*τοῦ ἀπὸ τοῦ κέδρου ἀλείφματος γενομένου*) per intestini recti exitum iniecto, indeque recepto, aluum expurgant, quo fit vt tandem ipsa intestina cum iniecto vnguento prodeant. Nitro deinde carnes tabefaciunt, vt nihil præter cutim & os-
fa

sa relinquatur. Hoc factō, absque alio apparatu, recondendum corpus domesticis defuncti tradunt. DIODORVS SICVLVS de hac mediocri sumtu peragenda pollinctura nihil addit, nisi quod impendendæ in illam XX. minæ fuerint, quæ summa ad nostram monetam reuocata DCXXV. florenos efficit,

§. XIII.

De tertia & vilissima condituræ specie agens HERODOIVS, pauçula hæc ponit: tertia autem conditura hæc est, qua adornantur eorum mortui, qui tenuiore sunt fortuna. Ablutionibus ventrem extergunt, faleque per LXX. dies macerant, deinde tradunt reportandum. Etiam de hac DIODORVS nihil subiungit, & neque pretium indicat, contentus hæc pauçula dixisse: *in ultimam perexiguae sunt impensæ.* Hæc habeo, quæ ex antiquissimis auctoribus referam de Ægyptiorum pollinctura. Neque in PLINII amplis voluminibus occurrit aliquid, quod huc faciat: picis autem cedriæ vsum confirmat *lib. XVI. cap. XI.* simulque efficit vt intelligamus quid illa fuerit, quare locum adscribam: *Pice liquida in Europa e tarda coquitur. Lignum eius concisum furnis, undique igni extra circumdato, feruet. Primus sudor aquæ modo fluit canali: hoc in Syria cedrium vocatur, cui tanta vis est, vt in Ægypto corpora hominum defunctorum eo perfusa seruentur.* Cum Pliniana descriptione conferti potest DIOSCORIDES *lib. I. cap. 105.* vbi nomen restringitur ad illud oleum, quod ex cedro arbore paratur destillatione, quam per descensum vocamus. Scribit de ea: *vim ea obtinet viuientium quidem corporum corrumptricem, defunctorum vero conseruatricem: qua ex causa quidam*

dam

dam mortui vitam appellauerunt. Quibus verbis eum ad Ægyptiorum pollincturam respexisse mihi plane videretur indubium.

§. XIV.

Sed STRABO in *geographia libr. XVI. p. 764*, vbi de lacu Sirbonis agit, eiusque mirabilem naturam describit, hæc inter etiam mentionem iniicit de asphalto seu bitumine, quod a fundo eius fluidum emanat & in summo condensatur. De hoc itaque bitumine pauca hæc tradit: *hoc bitumine, asphalto scilicet, Ægyptii ad mortuorum condituram vtuntur.* Manifestum est, & iam diu ab eruditis monitum, falli hoc loco egregium Strabonem, quando pro mari mortuo lacum Sirbonis nominat. Quomodo autem statuendum sit de ipsa assertione, quod asphalto Ægyptii ad pollincturam vsi sint, vix satis capio. Vnus testis contra plures de cedria pice affirmantes asphaltum indicat, quod ceteris ignotum est. An temporum decursu variatum est? sed parum distant Diodorus, qui Augusti initia attigit, & Strabo, qui ad Tiberii principatum peruenit: post ambos autem Plinius demum venit. Nihil itaque aliud relinquitur, nisi vt diuerfos auctores sequutum Strabonem credamus, remque in medio relinquamus.

§. XV.

Mirum videbitur non iniuria, quid effecerit vt in scholas medicas mediæ æui tantum desiderium mumiaæ veteris venerit, quidue ab illa expectauerint. Certe nihil ex omnibus, quæ adhibuerunt prisca Ægyptii, deesse illis potuit, non cedria pix, non myrrha, non cinnamomum, non asphaltum, non denique gummi.

C

Nescio

Nescio igitur quid requisierint, cuius causa sepulcra violare & naturæ humanæ abominabilia ægris offerre ausi fuerunt. Equidem, si dicere, quod sentio, licet, ita conicio. Arabes admiratos fuisse, quum Ægyptum sibi subiecissent, conditorum corporum antiquitatem & tamen persistentem & illibatam integritatem. Quum vero libri Græcorum historici, in quibus pollincturæ methodus descripta est, numquam in ipsorum linguam conuersi fuerint; (oderunt enim eos omnesque falsos declarare & suppressere debent, ne cento ille mendaciorum Coranus arguatur & refellatur tot antiquissimorum testium consonis testimoniis, quibus foedissimi parachronismi Muhammedis deteguntur:) venerunt in suspicionem aut præiudicium illud empiricum, fuisse aliquam arcanam medicinam, quæ id viribus suis efficeret: cœperuntque coniecturis suis indulgere & rumusculos captare.

§. XVI.

Quemadmodum autem fieri solet ut vnus, qui auctoritate pollet, hominibus, qui caliginoso xuo viuunt, aut cœcam fidem magistris adhibent, persuadere facile possit, quicquid mediocriter plausibile est; & inter illos dantur, qui credulitate simplicium valde abutuntur: factum est ut modo hoc, modo illud, ab vno & altero indicaretur. Jam quum nomen mumie inter orientales esset: Persæque, a quibus primos suos in medicina præceptores acceperunt Arabes, mum illud ex terra apud se scaturiens aliquid pingue esse docerent, ipsique incredibiles vires adiungerent: Arabes autem a Persis ob dissidium in religione grauissime diffiderent, ut hodieque ca-
pita-

pitales & irreconciliabiles sunt inimicitia: dispexerunt annon alibi id proueniret, quod a Persis aut petere volebant, aut impetrare non sperabant. Animum itaque conuerterunt ad pissasphaltum DIOSCORIDIS, quippe & ipsum ex terra featuriens bitumen, & a sole tandem, quum super aqua diu stetit, condensatum. Siue vero experimenta spei magnificæ non responderunt, siue cognita vilitas pretii, quo merx illa comparari potest, fiduciam minuit; animum ad alias cogitationes vertere cœperunt, sibi que fingere quid in Ægyptiorum conditura rarum ac præcipuum fuerit.

§. XVII.

Finxerunt itaque sibi indocti Arabes illa, quæ hodie in ipsorum libris, hincque in nostros serio translata, legimus, adhibuisse Ægyptios balsamum, aloen, myrrham & crocum, hancque incomparabilem compositionem, vbi forte in permiscendi ratione arcanum quid simul latitauerit, virium istarum in corporibus tamdiu conseruandis causam esse. Hoc dum credebant minime animum adiciiebant ad rationes naturales, quæ effectus illius causa vera sunt, humidi extractionem, & illam artem, qua prohibebant ne semel extracta illud iterum subire corpus & corruptionem inducere posset: quo non parum videtur ipsius climatis ratio contulisse, quippe quod humido aere destitutum esse debet, ob rarissimas aut nullas pluias. Sed de his multa, quæ afferri possent, lubens prætermitto, vt ad argumentum nostrum redeam.

§. XVIII.

Scilicet nunc consideranda sunt illa, quæ Arabes dix-

dixerunt & crediderunt conditis & medicatis funeribus fuisse adhibita. Hæc inter primo dispiciemus de aloe. Hanc communi consensu mumiis tribuunt, quicumque prodierunt ex schola Arabum, aut eorum testimoniis nituntur. Sed quomodo fidem facere asserti possint, equidem non video. Aloe duplex est: succus scilicet ille inspissatus valde amarus, qui ex foliis plantæ exstillat & condensatur: atque lignum pretiosum, quod ob fragrantiam orientales populi maximi æstimant. Vtram intelligant, non video clare expositum. Si ea, quæ HERODOTVS & DIODORVS SICVLVS tradunt, consideramus, elucet studium rebus bonum odorem spargentibus intentum: adeoque lignum aloes seu agallochum hoc quidem sine debuit commendatum fuisse. Sed fere manifestum est nostros auctores alteri aloes speciei, nimirum succo, inhærere: vnde etiam apud multos legimus, quod pilulæ antipestilentialia ex his tribus, aloe, myrrha & croco sint concinnatæ, quia corpora a putredine seruant, quod exemplo mumiaram cognoscatur; & THEOPHRASTVM PARACELSVVM suum Elixir proprietatis ex his eadem spe & intentione parasse. Sed vix mihi persuadeo hoc Ægyptiis veteribus in animum venisse: quum huius aloes foetida exhalatio, etiam multis fragrantibus additis vix corrigenda, omnibus nota sit, qui talia tractare solent.

§. XIX.

Quod crocus accesserit, nullo antiquitatis testimonio confirmari potest: sed recentiores ex Arabum placitis id asserunt. Sed crocum fere facilius admiserim, quoniam vero simile est Ægyptios habuisse crocum Cyrenai-

renaicum, quem omnes veteres ob mire gratum odorem valde commendant. Testimonia vetustatis clarissima & satis multa larga manu suppeditat Perillustri SPANHEMIVS *notis ad CALLIMACHI hymnum in Apollin. vers. 38. pag. 70. 71.* Annon vero ab illo metuere debuerunt coloris immutationem? Ea enim est natura croci, vt colorem flauum omnibus tribuat, ad quæ accedit, illumque sic diffundat, ut vix cogitari modus possit, quo impediri illud queat. At vero Ægyptii ante omnia studebant efficere, vt funera viuis per omnia viderentur simillima, studioseque euitare debuissè videntur, quicquid posset huic scopo contrarium labore reddere. Quod denique balsamum inter illa, quæ condiendis cadaveribus adiecta sunt, seorsim commemorant, nisi aut cedriam picem, aut asphaltum, vel pissasphaltum intellexerunt, nescio quid sibi voluerint.

§. XX.

Sed accedimus ad requirendum atque perpendendum quid a mumia expectauerint adeo magnum & singulare. Atque faciemus initium a Persica. Refert autem de illa ante laudatus D. D. SCHOBERVS, quod præcipue existimetur ob vim incomparabilem vulnerarium, prorsus vt prodigiosa sint, quæ de illa Persæ circumferunt. Sed de modo adhibendi parum inuenio. Antea laudatus CHARDINVS *l. c.* videretur internum vsum apud istam gentem obseruasse: scribit enim in hunc sensum: *pro certo perhibent semidrachmam huius mumie intra XXIV. horas sanare & in integrum restituere quicquid in corpore hominis fractum, collisum, immo comminutum fuerit. Atque hoc esse eiusmodi, de quo nemo*

apud Persas dabitur; propter creberrima & fere quotidiana mirabilium curationum ea peractarum exempla. Hoc si vere ita se habet, mirum videri non debet, quod in pulverem contra casum olim recepta fuit. Confert mumiam hoc nomine SCHOBERVS cum balsamo Peruuiano, succino & similibus balsamicis. Ponit ipsemet suæ experientię specimina, quibus comprobatur quod in lochiis nimis, mictu cruento, gonorrhœa benigna chronica non inefficax fuerit.

§. XXI.

Haud abludunt hæc a viribus, quas DIOSCORIDES asphalto, pissaphalto, & naphthæ tribuit; nam hæc tria coniungit, tamquam omnino conspirantia & tam principiis agendi quam effectu conuenientia. Porro, inquit, *bitumen omne vim habet inflammationes ardens, glutinandi, discutiendi, atque molliendi.* Hæc videntur intelligenda de vsu externo. Subiicit deinde varia de vsu interno, quod cum vino & castoreo potum menses eliciat, tussi veteri, anhelationique auxilio sit, serpentium quoque morsibus, vt & coxendicum laterisque doloribus medeatur: coeliacis catapotii instar datum opem ferat, grumos sanguinis soluat cum aceto potum: Dysentericos iuuet, si ptilana dissolutum iniiciatur, deffillationibus & strangulationi matricis suffitu medeatur, dentium dolores circumlito mitiget. Atque horum nihil est, quod non rationi & experientię conueniat, si iusto tempore exhibita talia fuerint.

§. XXII.

Nunc videamus quid de mumia promittat schola Arabum. Operæ compendium facturus exhibebo quæ
SYL-

SYLVATICI pandectæ prædicant. Prodest capitis dolori chronico & hemicranîæ, paralyfi & torturæ oris, vt & vertigini, si cum aqua maioranæ diluta in nares attrahatur. Oleo iasmini soluta auribusque instillata dolores earum sedat; gutturis dolorem & inflammationem sedat, cum decocto fatureiæ, tussientibus cum decocto hordei & iuiubarum prodest: cardiacis detur cum aqua menthæ: flatulentîæ medetur cum decocto carui, cymini, ammeos. Lapsos & contusos solatur cum bolo Arm. & croco, exhibita ex aqua solani aut cassiæ fistulæ diluto; ad singultum datur cum decoctione feminum apii & carui. Ad venena valet cum decoctione tribulorum aquaticorum & foliorum sylphii. Butyro subactum imponatur puncturæ scorpii, interne etiam sumatur. Lapsis, contusis, ruptis, fractis, interne datur & exterius illinitur. In vlceribus vesicæ & virgæ clysteribus admisceatur & iniiciatur. Sanguinem reiectantibus, vbi nihil aliud proderat, tria grana cum vino data profuisse obseruatum fuit.

§. XXIII.

En mira illa, quæ de mumia Arabes promiserunt. Certe pleraque sunt eadem, quæ de sua mumia, id est asphalto, pissasphaltu, & naphta, DIOSCORIDES perhibet. Quis vero tantopere desperat de diuine copia medicamentorum, quæ ad prædictos affectus præstant & vtu comprobata sunt, vt vitam ac sanitatem a mortuis repetendam existimet, & quum tot tamque præclara profert munda, pura, nulla fœditate contaminata, non solum tabo mortuorum polluta præ illis eligat: sed prorsus carnem & ossa mortuorum deubret, de quibus nescit,

nescit an scæda lepra, cancro, phthisi, hydropè, peste alioue morbo venenato aut maligno perierint. Equidem nescio an mortalium vllus vœcordior fuerit illo, qui primus humano toti generi tam propudiosum errorem excogitauit, & causa fuit vt per tot sæcula tam turpis macula tot gentium nominibus infederit atque plane inueterauerit.

§. XXIV.

Sed videntur plane Arabes minus, quam nos reprehendendi, qui non solum illis temporibus, vbi pauca erant verum inueniendi subsidia, errauerunt, verum etiam vix pedem intinxerunt luto, in quod medium sese immerferunt posteri. Nam quum illi tantum abradendum a corporibus resinofum tabum præceperint: nostratium plurimi illud cum carnibus deuorant. Judæus homo, sane cordatus & doctus, AMATVS LVSITANVS, grauiter olim correxit hunc errorem, sed parum profecit. Digna sunt eius verba quæ hic legantur. *Officinarum, inquit, mangones auarissimi & lucri cupidi, non mortuorum tantum conditura contenti, ipsorum pulpamenta, pernas, brachia, capita, immo integra corpora in officinas absque vllò pudore traxerunt. Plecendi igitur sunt & dira poena condemmandi, tamquam malefactores & veri dei contemptores, qui deinceps corpora mortuorum in tabernis tamquam hominum saluti conuenientia, habuerint. Curabunt tamen condita illa aromata ex mortuis corporibus, tempore longo in pheretris repositis, habere, quum præcipue hæc sit munia. Si tamen eam habere non liceat, saltem pissasphaltum verum & naturalem, vel cadaveribus extractum, vs habeant solliciti sint, quum multum rei medicæ deseruiat.*

Cer-

Certe hæc saniora & humaniora sunt a ludæo dicta, quam quæ Christianus & Cæsareus medicus, PET. ANDR. MATTHIOLVS, suo ad Dioscoridem commentario inferuit: *necessum igitur esset legitimam mumiam expetentibus ut in hospitalibus nostri: cadavera obeuntium aloes, myrrha & croco repleri curarent, eaque deinde suo tempore eximi.*

§. XXV.

Quod pharmacopæis suadet MATTHIOLVS, eisdem studii male consulti auctorem se fecit OSW. CROLLIVS in *basil. chymica p. m. 116*, vbi theriacam de mumia, excellentissimarum virium, si superis placet, describit. In eo tamen paulo minus culpandus videtur, quod non cadaver morbo extinctum, sed hominis iuuenis violenta morte peremti, assumere suadet. Non dicam de singulis, quæ, vsque ad cæli & stellarum influxum, excogitata sunt: res eo redit, ut corpus huiusmodi hominis frustulatim concisum, pulvere myrrhæ & exiguo aloes conspergatur, superfuso spiritu vini per aliquot dies maceretur, deinde ad liberum aerem suspensa frusta exsiccentur. Docet ad illum locum commentator HARTMANNVS talem præparationem deberi ingenio THEOPH. PARACELSI, hancque veram esse mumiam, quam auctor *patibuli* designauerit, nullamque aliam huic esse comparandam. Atque ex hac paranda magnificæ spei medicamenta Paracelsistarum chymicorum schola suadet: quamquam miror, cur ipsemet, vbi *pag. 86*. laudani confectionem docet, non hanc Paracelsicam patibuli, sed Ægyptiacam accipere iusserit. Nisi oblitus sui præcepti id fecit, ratio forte erit, quod

D

a tali

a tali mumia humana maiores vires contra venena, quæ vocat, bestialia exspectavit, ab exotica maiores anodinas.

§. XXVI.

Enimvero hæc omnis fiducia & spes vitam ac sanitatem a mortuo percipiendi mere phantastica, a tot doctis & grauibus viris iam repudiata & improbata est, vt non opus sit multis in hoc genere laborare. Defungemur itaque hoc labore compendio magno, & virorum peritorum iudicia adducemus. Primus prodeat D. D. DANIEL LVDOVICI, qui in *pharmac. mod. sec. applic. diss. 1. p. m. 133.* ita scribit: *Ex homine, ne Cannibales ullibi desint, multa similiter huc tracta sunt: asseuerare tamen possumus, quod post varia rædiose in sanguine, in ossibus, immo in sordidioribus quoque tentata, fabricata quin etiam mumia, tum vulgariori, tum specialiori illa per macerationem in salis spiritu ac frustulorum conspersionem cum aloë, myrrha &c. nihilo singularius aut presentius inde habuerimus, quod similiter vel ceruina hircinaque non suppedient.---Mumiam exoticam, teneriores reuera offendentem, alii iam pridem exesse iusserunt: Et tot habemus balsamica vulneraria, tot essentias resoluentes, præseruantes, vt tinctura ipsius vel oleo commode carere possimus. Consonum huic est iudicium RENODAEI, quod *mater. med. lib. III. cap. 2.* grauiter promit: vt & Exc. D. D. RIVINI in *ce. f. medic. officin. cap. II. §. 3.**

§. XXVII.

Superest vt paucis indicemus medicamenta vel antiqua, vel ex recentioribus inuentis potiora, in quibus mumiã requiritur. Iam indicauimus *laudanum opiatum Hartmanni*, quod forte nullibi in viu superest. Simili-
ter

ter *Athanasia magna Nicolai* apud nos certe obliuioni tradita est. *Species* quoque *diamumie* vsu officinarum, ni fallor, iam diu exciderunt. *Essentia* etiam & *extractum* vt & *oleum* seu *balsamus* *mumie* in catalogis publicis officinarum non amplius leguntur. Vnicum, quod internis vsibus destinatur, medicamentum superest *puluis* contra *casum*, & ex illis, quæ ad externos vsus desideramus, duorum tantum memini emplastrorum, quorum alterum de *betonica* dicitur, alterum est *stidicum* *Crollii*.

§. XXVIII.

Iam cum id omne, quod a mumia ad resoluendum & discutiendum expectamus, a sua mumia Persæ referant, id est a bitumine condensato & indurato, quid opus est hic aliam assumere? Quumque asphaltus in magna copia suppetat, Arabum illa mumia, & pissasphaltus Dioscoridis, si illo quidem opus esset, genuinus & ipsissimus haberi magna copia possit: quum teste MATTHIOLO & AMATO LVSITANO Venetias integrarum nauium onera afferantur, quibus ibi pro pice vtuntur: quumque pro iis, qui pertinaciter pretiosa cupiunt, ambra nigra suppetat: nescio quid causæ sit, cur tam sordidum & abominabile exoticum desiderare debeamus. In ipsa Germania eiusque prouincia Tirolensi simile concretum inueniri non procul a valle Oeni fluminis, ad montes Seefeld, modo laudatus *Amatus*, vt & *Matthiolus*, testantur. Et si nullibi exstaret, facile labore parari potest ex oleo petrae aut terræ Freyenwaldensis, aliisque scaruriginibus, quas in Germania, Transsylvania, Sicilia, Galliaque historiae naturalis auctores annotarunt. Neque dubitandum est, quin ad ex-

ternos vsus longe meliora impetraturi simus oleo illo petrae: de cuius vsibus & viribus integer tractatus prostat cum RAMAZZINI operibus non ita pridem recusus.

§. XXIX.

Concludimus hanc opellam verbis iam semel laudati excellentissimi Lipsiensium Professoris D. D. RIVINI c. l. §. 4. *Anthropophagia Scytharum, Americanorum & reliquarum crudelissimarum gentium damnatur ab omnibus: quis credat moratiores adeo immanes, ut e manu carnificis turpiculricupidi repetant furum latronumque viscera, cadauera. Certe canis canem vix unquam degustat mortuum, & quod magis miratus sum, cor etiam coctum non attingit. Quid vero nos impellit, ut ferociores ipsis videamur bestiis? Annon alia in promptu sunt, que vicem iam enarratorum supplere valeant? Annon balsamica sanguinem congruatum resoluentia cephalica & antepileptica, cornua & ossa, sufficienter, immo abundanter collecta exstant in pharmacopolis? Quid opus est dilaniari hominem, assari & concoqui?*

Hæc vero sufficient.

F I N I S.



Diss. Halle 1737 (1)

ULB Halle
003 855 163


3



56.

ND 18







DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE

MUMMIA

QVAM

PRÆSIDE

D. IOANNE HENRICO SCHVLZE
MEDICINÆ ELOQVENTIÆ ANTIQVITATVM ET
PHILOSOPHIÆ PROFESSORE PVBLICO
ORDINARIO

ACADEMIÆ CÆSARÆ NATVRÆ CVRIOSORVM ET
REGIÆ SOCIETATIS SCIENTIARVM BERO-
LINENSIS SODALE

PRO GRADV DOCTORIS

RITE CONSEQVENDO

A. d. XI. Octobr. Anni MDCC XXXVII.

PVBLICE DEFENDET

GEORG. BERNH. HENDEWERCK

STOLPA POMERANVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,

Typis IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

